Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1839

Quelle:
Copyright:



*tione domini mortuo Clothario rege francorum filii ejus id eſt Aribertus, Gunthramus, Hilpericus, Sigisbertus regnum francie quadrifarie regnabant* &c. In fine fit mentio de deſtructione Coenobii S. *Benedicti in Caſſino*, quae in an. 582. incidit. Facta in his omnibus conſtant, frequenter tamen hallucinatur Chronologia. Particulas has in *Codice Beccenſi Annalibus* adtextas a *Fabro* repertas fuiſſe, vero ſimillimum eſt.

VII. *fol.* 154. *Precipue Differentie inter puram chriſtianamque Doctrinam euangelij et idolatricam papiſticorum Doctrinam. Philippus Melancthon* 1540. Sunt Articuli XVI. quorum primus incipit: *Prima Differentia de vno chriſto et fide. Chriſtiana Doctrina. Euangelium docet quod chriſtus* (Deus) *nobis ex ineffabili miſericordia filium ſuum ihesum chriſtum miſit* &c. *Papiſtica Doctrina. Contra Papiſte nihil dicunt de fide. ſed econtra docent dubitandum an ſit remiſſio* &c. Vix adducor, ut credam autorem *Melanchthonem*, qui Catholicorum doctrinam melius certe novit.

VIII. *fol.* 158. *Danielis Cordati Cilien. Artium ac philoſophiæ M. Hebraicarum Grecarumque Literarum I. V. Candidati Authoritate Rhomanorum Pontificis Summi Caeſareeque Maieſtatis PR. Contra villacen. perfidos Conatus.* Sequuntur Sententiae aliquot latine, hebraice, graece, germanice, et literis, ut ait autor, a ſe ipſo inventis. Libellus ipſe *germanica* lingua ad *Johannem Fabrum* Ep. ſcriptus eſt rudiſſime quidem et perobſcure, ut nil inſolens aevo illo, quo multi linguarum eruditarum peritiſſimi maternae vix tria verba eluctabantur. Queritur in eo *Cordatus*, ſe a *Mauritio Welzero Carinthiae* Praetore *(Landesverweſer)* Civibusque *Villacenſibus*, quorum *Syndicum* egerat, religionis catholicae ergo multis laceſſitum injuriis, carcere 40. Hebdomadum maceratum, damnoque mille nummum aureorum adfectum, juſtitiamque *Ferdinandi* Rom. Regis implorat. Actum *Viennae 20. Apr.* 1540. et ſubſcriptum: *Daniel Hertzig oder Cordatus geweſner Statſchreiber zu Villach.*

IX. *fol.* 168. *Acta* in Comitiis *Auguſtanis* 1530. in cauſſa Religionis ab *Hieronymo Vehо* Cancellario *Badenſi* ſubmiſſa *Ferdinando* Rom. Regi 6. *Maji* 1532. lingua partim germanica, partim latina. Praeit Epiſtola *Vehi* ad Regem, in qua ſingula ex *Prothocollis ſuis*, ut ait, extracta Inſtrumenta enumerantur, quorum indicem ſubjicere opportunum duxi:

Erſtlich *Acta der ſieben von den ſtenden, vnd ſieben von Proteſtirenden Chur vnd Fürſten Verordneten Fürſten, Theologen, vnd Juriſten.*

Zum Andern, *was von Dreien auſs den ſtenden vnd dreyen auſs den Proteſtirenden darzu verordnet vnderredt worden.*

Zum